



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

310. Ut quod in Deum quis peccant nullus donare possit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex Lege Theodosiana,*
lib. II. cap. XVIII.

CCCIX. Judex cum causam audire cœperit, litigatorum assertiones vel responsiones patienter accipiat, & omnia plena discussione perquirat; nec prius litigantibus sua sententia velit obviare, nisi quando ipsi, peractis omnibus, jam in contione vel contentione non habuerint quod proponant. Frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermissum fortasse remaneat.

Interpret. l. 1.
Cod. Theod.
De judicis.

Ut quod in Deum quis peccat nullus donare possit. *Ex dictis Hieronymi.*

CCCX. Attendendum est quid Dominus dicat: *Si peccaverit in te frater tuus.* Aliud est peccare in nos, aliud peccare in Deum. Si in nos aliquis peccaverit, habemus potestatem dimittere ei. Si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrij. Scriptum quippe est: *Si peccaverit vir in virum, placari potest ei Deus. Si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* Nos è contrario in Dei injuria benigni & misericordes sumus, & Dei offensam, quasi in nostra potestate sit ejus velle & ejus nolle, impune absque congruenti pœnitentiæ vindicta donamus; cum tamen quod in nobis commissum est, nec saltim verbum contumeliosum leviter prolatum, sine vindicta pertransire patiamur. Dimittamus ergo propter Deum quod in nobis perpetratum est; & quod in Deum commissum est, quia dimittere non possumus, juxta * consuetudinem san-

Hieron. in
Math. c. 18.
Burchard. lib.
II. c. 15.
lvo parte 14.
c. 85.

1. Reg. 2.

* Codex M S^q
constitutio. 6

330 REGINONIS LIB. II.
ctorum patrum, secundum canonicam aucto-
ritatem vindicemus.

ABHINC DE PERJURIO.

Ex Cap.

*Levit. 19.
Capitular. A-
quisgran. Ka-
roli M. c. 63.
& lib. 1. Capi-
tular. c. 63.
Burchard. lib.
12. c. 2.*

CCCXI. Habemus in lege Domini scrip-
tum: *Non perjurabis in nomine meo, nec pol-
lues nomen Domini Dei tui, nec assumes nomen
Domini Dei tui in vanum.* Ideo admonendi
sunt omnes ut diligenter caveant perjurium,
non solum in altari seu sanctorum reliquiis,
sed & in communi loquela. Item cavendum
est ne aliquis plus aurum honoret quam alta-
re, ne ei Dominus dicat: *Stulte, quid est ma-
jus, aurum, aut altare quod sanctificat aurum?*

Matth. 23.

Item unde supra.

*Lib. 1. Capi-
tular. c. 63.
Lib. 2. Leg.
Longob. tit.
55. c. 22.
Burchard. lib.
12. c. 12.*

CCCXII. Sed & nobis honestum vide-
tur ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunis
faciat cum omni honestate & timore Dei. Et
ut parvuli, qui sine rationabili aetate sunt, non
cogantur jurare.

Item.

*Lib. 1. Capi-
tular. c. 63.
Lib. 2. Leg.
Longob. tit.
51. c. 4.*

CCCXIII. Qui semel perjuratus fuerit,
nec testis sit posthac, nec ad sacramentum ac-
cedat, nec in sua causa vel alterius jurator
existat.

De eadem re. Ex Concilio ad Pistas.

*Capitular. lib.
3. cap. 8.*

CCCXIV. Ut nulli alteri per sacramen-
tum fidelitas promittatur nisi nobis & unicui-